

tairii *Annalib.* meoque *Subple-*
mento praesto sunt.

Codicem utrinque interne con-
vestiunt Membranae hebraicae
Fragmenta e *Levitico* de Sacrifi-
ciis ab elegante penna sine punctis
exhibentes; sed enim difficilem
accessum mucor facit.

DXXXI.

R. 3240 Codex membraneus lat. Sec.
XIV. Folior. 357. 8. minutissimo,
sed nitidissimo charactere per duas
columnas exaratus, coloribus illu-
stratus, et olim cum *Bibliothecae*
Civicae, tum *Collegii S. J. Vin-*
dobon. Commentarius est in *LL.*
IV. Sententiarum Petri Lombardi,
seu potius Opus easdem ma-
terias eodem ordine, sed aliter
pertractans, cujus Prooemium init:
Fides est substantia rerum speran-
darum argumentum non apparenti-
um. Sicut enim uera dilectione di-
ligitur deus propter se ipsum su-
per omnia. ita uera fide aquiesci-
tur prime ueritati super omnia pro-
pter se. &c. Autoris nomen a pri-
ma manu toto Codice non occur-
rit; sed ab alia *fol. ult. p. 2.* legi-
tur: *A fratre wilhelmo de Milito-*
na ordinis fratrum minorum Et
Magistro Theologie compilatum
opus 4^o librorum correspondenter
ad 4^o sententiarum libros qui do-
ctor allegatur in summa agstenfi
(l. Astensi, nempe F. Astexani)
de elemosina. Ibi uide libro 6^o (l.
quinto) titulo 26^o. Et bis quidem,
nempe Art. 5. et 8. Jam si Notae
huic fides, duo nova, ab aliis non-
dum observata haberemus Opera

Guilelmi de Middletown non Do-
minicani, ut quibusdam creditum,
sed Franciscani, de quo jam Vol.
I. P. 1. col. 320—22. mentio
fuit. Primum quidem praesentem
Tractatum Dogmaticum, dein Sum-
mam quandam Moralem; cum e-
nim ea, quae Sodalis ejus Astexa-
nus ex eo refert, in Tractatu
praesenti L. IV. ubi de Eleemo-
syna foll. 323—24. agit, non
habeantur; manifestum est, ea ex
alio Tractatu perinde nobis in-
cognito petita fuisse, nisi dicas,
illa latere in ejus Commentario in
Epistolam ad Rom. quem nunquam
vidi, quamvis Summistarum usus
non fuerit Commentatores Bibli-
cos compilare. Accedat igitur
Subplementum istud ad ea, quae
Waddingus, Quetifus, Caveus,
Fabricius (Tannerus enim Guilel-
lum penitus omisit) adnotauere,
Solus Oudinus, dum T. III. col.
217. e Thomasini Catal. Mss. Pa-
tavinor. inter Commentatores in
Libros Sententiar. Nostrum nume-
rat, haeret, an id de Subplemen-
to, quod in Alexandrum Halen-
sem condidit, an de proprio Com-
mentario intelligi debeat. Poste-
rius verum esse, Codex noster
demonstrat.

DXXXII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 690
XIV. Folior. 251. f. per duas
columnas minutius multis compen-
diis exaratus et coloribus distin-
ctus sequentia ad Theologiam scho-
lasticam pertinentia complectitur:
I. Commentaria in L. I. *Senten-*
tiar.